


51107

ANNUS XXII.



IDIBUS NOVEMBRIBUS 1937.



NUMERUS 3.

JUVENTUS

EPICENESIS IN USQUE GRAVIDITIS STUDIOSAE

LATIN IJÉSÁGI FOLYÓIRAT. LATEINISCHE JUGENDZEITSCHRIFT. REVUE LATINE DE LA JEUNESSE.

Administrator, ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel: 142-215).

Moderator, ad quem manuscriptamittantur: I. WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634).

Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1936—37. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyrus aerarii comparisorum postalis in Hungaria: 57.292, in Austria: A—37.880. Subnotatores earum gentium, unde simplex pecuniarum transmissio impeditur, tantur scibidulis «Coupon réponse internationale» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

Albertus Szent-Györgyi.

Institutum medicinale de Carolina nominatum Holmiae¹ praemium Nobelianum Alberto Szent-Györgyi, professori universitatis Szegediensis adiudicavit. Lux illa mirifica gloriae, quae ex Urbe Sueciae² emanans irradivit maximi atque acerrimi ingenii professorem Hungaricum: incredibili gaudio et quadam nobili superbia afficit nos, Hungaros, ad unum omnes.

Vir ille doctissimus et illustrissimus Budapestini anno 1893. natus est. Pater eius — Emericus Szent-Györgyi — gerendarius³ a secretis³ publicis³ et senatus⁴ praeses Curiae⁴ Regiae erat; mater autem eius, Iosepha Lenhossék, filia erat professoris Lenhossék, qui in facultate medicinali universitatis Budapestinensis optime meruit. Ergo in familiis, a quibus professor Szent-Györgyi originem dicit, iam diu inerat scintilla⁵ divinae ingenii.

Professor Szent-Györgyi diplome medicinae acquisito in variis universitatibus Europae et Americae investigationibus⁶ scientificis operam navabat. Iam in America contigit ei vitaminum C producere ex glandulis⁷ adrenalibus, sed quantitas huius vitamini producti erat minima, sumptus autem productionis maximus. Vir doctissimus ad discrimen⁸ vitae ac fortunae tum advenit, cum medicinalis facultas universitatis Szegediensis eum in universitatem professorem invitavit. Nam hic, in urbe Szeged, primum pernxit dulce capsicum⁹ Szegediense, et fors hic obtulit ei occasionem inventionis.

Aliquando enim professor Szent-Györgyi, cum ad epulas vespertinas nihil capsici accepisset, incredibili cupiditate capsici incensus est. Quae res ingenium eius sollertia summa ad hanc cogitationem adduxit: Fortasse hanc ob causam tantā cupiditate capsici excrucior, quod capsicum dulce Szegediense vitaminum C continet. — Et re vera: nam sua arte et viā brevi tempore contigit ei ex capsico Szegediensi tantam vim vitaminum C producere, quantum ne ipse quidem sperare ausus est.

At professor Szent-Györgyi praemium Nobelianum non pro hac unā inventione accepit; scriptum enim, quo is certior factus est praemium Nobelianum sibi adiudicatum esse, clare et distincte haec dicit: Collegium virorum praemiis Nobelianis adiudicandis respexit «cunctas investigationes, quae ad processus ardendi in corpore procedentes pertinent; imprimis autem eas, quae ad vitaminum C et ad catalysim acidi¹⁰ fumarici¹⁰ pertinent».

Professor illustrissimus in Sueciam proficisetur, ut gratias agat



¹ Stockholm ² Svédország =
Schweden = Suède ³ államtitkár =
Staatssekretär = secrétaire ⁴ d'Etat
⁴ kúria tanácselnök = Senatspräsident
des obersten Appellationsgerichtes =
président de la cour de cassation

⁵ szikra = Funke = étincelle ⁶ kutatás = Forschung = recherches ⁷ mellékvese = Nebenniere = capsule surrenale ⁸ fordulópont = Wendepunkt = tournant ⁹ paprika = Paprika = priment ¹⁰ fumársav = Fumarsäure = acide fumarique